



Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Homilia VIII. Habita ad populum in basilica beatæ Mariæ Virginis, in die
Natalis Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

rium nec ipse investigare sufficit, qui hanc per prophetiam spiritum agnovit. Quid est ergo dicere: [Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus;] nisi aperte & humiliter suam ignorantiam profiteri? Ac si patenter dicat: Quid mirum si ille mihi praelatus est, quem post me quidem natum considero, sed nativitas ejus mysterium non apprehendo? Ecce Joannes prophetiam spiritu impletus, miram scientiam emicat, & tamen illud de se insinuat, quod ignorat. Qua in re pensandum nobis est, fratres charissimi, & tota intentione cogitandum, quomodo sancti viri, ut humilitatis in se virtutem custodiant, cum quaedam mirabiliter sciunt, illud ante mentis oculos student revocare quod nesciunt: ut dum ex parte alia infirmitatem suam considerant, ex ea parte qua perfecti sunt, eorum se animus non extollat. Scientia etenim virtus est, humilitas etiam custos virtutis. Restat ergo, ut in omne quod scit, se se mens deprimat, ne quod virtus scientiam congregat, ventus elationis spargat. Quum bona fratres agitis, semper ad memoriam male acta revocate: ut dum cautè culpa conspicitur, nunquam de bono opere incautè animus lateat. Superiores invicem, eos maxime qui vobis commisi non sunt, proximos vestros attendite: quia & quos agere aliqua prava conspiciatis, quae in eis lateant bona nescitis. Magnus ergo unusquisque esse studeat, sed tamen aliquo modo esse se nesciat: ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat intus quod erat. Hinc etenim per Prophetam dicitur: *Ve qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Hinc Paulus ait: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Hinc contra superbientem Saul dicitur: *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* Ac si aperte diceretur: Cum tu te parvulum conspiceres, ego te praeter ceteris magnum feci. Quia verò tu te magnum conspicias, à me parvus aestimaris. Quò contra cum David regni sui potentiam coram Arca foederis Domini saltando despiceret, dixit: *Ludam & vilior sum plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Quem enim non extolleret, ora leonum frangere, urforum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato Rege ad regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliath sternere, à Rege proposita extinctis allyphylis numerosa praepudia reportare, regnum ex promissione percipere, cunctumque Israeliticum populum contradictione possidere? Et tamen in cunctis se despicit, qui in suis oculis se esse humilem confitetur. Si ergo sancti viri etiam cum agunt fortia, de semetipsis vilia sentiunt, quid in sua excusatione dicuntur qui sine operatione virtutis intumescunt? Sed & si qualibet bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione non elevat, sed gravat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, quasi in vento pulverem portat, & unde aliquid ferre cernitur, inde deterius caecatur. In cunctis ergo quae agitis, fratres mei, radicem boni operis humilitatem tenete; nec quibus jam superiores, sed quibus adhuc inferiores estis, aspiciate: ut, dum meliorum vobis exempla proponitis, ad majora semper ascendere ex humilitate valeatis.

Lectio sancti Evangelij secundum Lucam.

Cap. 2. 4
In illo tempore: Exit edictum à Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis. Haec descriptio prima, facta est à praeside Syria Cyrino. Et ibant omnes ut proficerentur, singuli in suam civitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilaea de civitate Nazareth, in Iudaeam in civitatem David, qua vocatur S. Greg. Tom. I.

Atur Bethleem, eo quod esset de domo & familia David, ut proficeretur cum Maria desponsata sibi uxore pregnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum: & pannis eum involvit, & reclinavit eum in praesepio: quia non erat ei locus in diversorio. Et pastores erant in regione eadem, vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos: & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum. Invenietis infantem pannis involutum, & positum in praesepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militia caelestis exercitus, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis.



HOMILIA VIII.

Habita ad populum in basilica beatae Mariae Virginis, in die Natalis Domini.

Quia, largiente Domino, Missarum solemniam ter hodie celebraturi sumus, loqui diu de Evangelica lectione non possumus. Sed nos aliquid vel breviter dicere, Redemptoris nostri nativitas ipsa compellit. Quid est enim quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quod aperte monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscribere in aeternitate? Quò contra de reprobis per Prophetam dicitur: *Deleantur de libro viventium, & cum iustis non scribantur.* Qui bene etiam in Bethleem nascitur. Bethleem quippe domus panis interpretatur. Ipse namque est, qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* *10an. 6.* Locus ergo in quo Dominus nascitur, domus panis antea vocatus est: quia futurum profectò erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret. Qui non in parentum domo, sed in via nascitur: ut profectò ostenderet, quia per humanitatem suam quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur. Alienum videlicet non secundum potestatem dico, sed secundum naturam. Nam de potestate ejus scriptum est: *In propria venit.* In natura etenim *10an. 7. 33* sua ante tempora natus est, in nostra venit ex tempore. Qui ergo aeternus permanens, temporalis apparuit, alienum est ubi descendit. Et quia per Prophetam dicitur: *Omnis caro fenum; factus homo, fenum nostrum vertit in frumentum, qui de semetipso ait: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Unde & natus in praesepio reclinatur, ut fideles omnes, videlicet sancta animalia, carnis suae frumento reficeret, ne ab aeternae intelligentiae ** Al. interitae* pabulo jejuna remanerent. Quid autem est, quod vigilantibus pastoribus Angelus apparet, eosque Dei claritas circumfulget, nisi quod illi praeter ceteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus praesse sollicitè sciunt? Dumque ipsi pie super gregem vigilant, divina super eos gratia largius coruscet, Regem verò natum Angelus nunciat, ejusque

R R r ij

voci Angelorum chori concinunt, & congaudentes clamant: [*Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.*] Prius quippe quam Redemptor noster nasceretur per carnem, discordiam cum Angelis habuimus, à quorum claritate atque munditia per primæ culpæ meritum, per quotidiana delicta longè distabamus. Quia enim peccando extranei eramus à Deo, extraneos nos à suo confortio deputabant Angeli cives Dei. Sed quia nos cognovimus Regem nostrum, recognoverunt nos Angeli cives suos. Quia enim cæli Rex terram nostræ carnis assumpit, infirmitatem nostram illa jam angelica celsitudo non despicit. Ad pacem nostram Angeli redeunt, intentionem prioris discordiæ postponunt: & quos prius infirmos abjectosque despexerant, jam locios venerantur. Hinc est enim quòd Loth & Josue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur: Joannes verò in Apocalypsi sua adorare Angelum voluit, sed tamen idem hunc Angelum ne se debeat adorare compescuit, dicens: *Vide ne feceris, servus enim tuus sum & fratrum tuorum.* Quid est quòd ante Redemptoris adventum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent, postmodum verò adorari refugiant: nisi quòd naturam nostram, quàm prius despexerant, postquam hanc super se assumpta conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt? Nec jam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se videlicet in cæli Rege venerantur. Nec habere indignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum. Curremus ergo, fratres charissimi, ne qua nos immunditia polluat, qui in æterna præsentia & Dei cives, & Angelis ejus æquales sumus. Vindicemus moribus dignitatem nostram, nulla nos luxuria inquinet, nulla nos turpis cogitatio accuset, non malitia mentem mordeat, non invidia rubigo consumat, non elatio inflet, non ambitio per terrena oblectamenta dilaniet, non ira inflammet. Dij etenim vocati sunt homines. Defende ergo tibi ò homo contra vitia honorem Dei, quia propter te factus est Deus homo: qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Cap. 25. a Lectio sancti Evangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque tanta, alij autem duo, alij verò unum: unicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum verò temporis venit dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Accersit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi: ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone & fidelis, quia

A super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti, & timens abij & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est. Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi: oportuit ergo te dare pecuniam meam nummulariis, & ego veniens recepissem utique quod meum est, cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem servum eicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.

HOMILIA IX.

Habita ad populum in basilica sancti * Sil. * al. Felicia vestri Episcopi, in die natalis ejus.

Lectio sancti Evangelij, fratres charissimi, sollicitè considerate nos admonet, ne nos, qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab auctore mundi, gravius inde judicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescant donorum. Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspiciit in reddenda ratione. Ecce homo qui peregrè proficiscitur, servos suos vocat, eisque ad negotium talenta partitur. Post multum verò temporis positurus rationem revertitur: bene operantes pro apportato lucro remunerat, servum verò à bono opere torpentem damnat. Quis itaque iste homo est qui peregrè proficiscitur, nisi Redemptor noster, qui in ea carne quam assumpserat, abiit in cælum? Carnis enim locus proprius terra est, quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per Redemptorem nostrum in cælo collocatur. Sed homo iste peregrè proficiscens servis suis bona sua tradidit, quia fidelibus suis spiritalia dona concessit. Et uni quidem quinque talenta, alij duo, alij verò commisit unum. Quinque etenim sunt corporis sensus: videlicet visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Quinque ergo talentis, donum quinque sensuum, id est, exteriorum scientia exprimitur. Duobus verò, intellectus & operatio designatur. Unius autem talenti nomine, intellectus tantummodo designatur. Sed is qui quinque talenta acceperat, alia quinque lucratus est: quia sunt nonnulli, qui etiam interna ac mystica penetrare nesciunt, pro intentione tamen supernæ patriæ docent recta quos possunt, de ipsis exterioribus quæ acceperunt, * [duplum talentum portant.] dumque se à carnis petulantia, & à terrenarum rerum ambitu, atque à visibilibus voluptate custodiunt, ab his etiam alios admonendo compescunt. Et sunt nonnulli, qui quasi duobus talentis ditati, intellectum atque operationem percipiunt, subtilia de internis intelligunt, mira in exterioribus operantur: cumque & intelligendo & operando aliis prædicant, quasi duplicatum de negotio lucrum reportant. Bene autem alia quinque, vel alia duo in lucrum venisse referuntur: quia dum utriusque sexui prædicatio impenditur, quasi accepta talenta geminantur. Sed is qui unum talentum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini

defunt
hæc in pluribus
MSS. &
impr.